

super omnia praesidet, videlicet iudicis intimi, non sine magno regantur timore subjecti. Qui nimirum timor dum mentem Rectoris humiliat, purgat; ne hanc aut praesumptio spiritus levet, aut carnis delectatio inquinet, aut per terrenarum rerum cupidinem importunitas pulvereae cogitationis obscuret: quae tamen non pulsare Rectoris animum nequeunt; sed festinare necesse est, ut repugnatione vincantur; ne vitium quod per suggestionem tentat, mollitiae delectationis subigat: cumque haec ab animo tarde repellitur, mucrone consensus occidat.

CAPUT III. UT RECTOR SEMPER SIT OPERATIONE PRAECIPUUS.

Sit Rector operatione praecipuus, ut vitae viam subditis vivendo denuntiet, et grex qui Pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius quam per verba gradiatur. Qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat: quia quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat ut fiat. Hinc enim per prophetam dicitur: super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion. Ut videlicet qui coelesti praedicatione utitur, ima jam terrenorum operum deserens, in rerum culmine stare videatur: tantoque facilius subditos ad meliora pertrahat, quanto per vitae meritum de supernis clamat. Hinc divina lege armum sacerdos in sacrificium et dextrum accipit et separatum, ut non solum sit ejus operatio utilis, sed etiam singularis: nec inter malos tantummodo quae recta sunt faciat, sed bene quoque operantes subditos, sicut honore ordinis superat, ita etiam morum virtute transcendat. Cui in esu quoque pectusculum cum armo tribuitur: ut quod de sacrificio praecipitur sumere, hoc de semetipso auctori discat immolare. Et non solum pectore quae recta sunt cogitet, sed spectatores suos ad sublimia armo operis invitet: nulla prospera praesentis